



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ars Semper Gaudendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1664**

Prooemivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13517**

## TRACTATUS XIII.

Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala. & quis est qui vobis noceat si boni æmulatores fueritis? 1. Petri. 3.

*Ostenditur quòd qui statu suo contentus est, etiam difficultatibus omnibus quæ extrinsecus adveniunt, quæque statum necessario comitantur, debeat acquiescere.*

## P R O O E M I V M.



Mnem difficultatem superasse me cum arbitrabar, tum verò ad difficultatum omnium sentinam, eamque longè latèque per omne genus hominum diffusam peruenisse me comperio. Difficile est eam exhaurire; semper enim noua & recens recurrit materia difficultatum, idque non tam fundi vt videtur vitiò, quàm aliunde iniecta aut superiniecta. Illud certè molestissimum videtur & verò etiam intolerabile, quòd quietam vitam agere nemo quantumcumque velit, possit: semper enim externa intercurrent impedimenta quæ pacem interturbent, quæque in manu non sit depellere & amouere. Quis enim hominum, quotquot sunt, aut audaciam aut insulos incultosque mores refrænet; quis indolis rusticitatem penitus corrigat? Hinc tamen ingens turbationis origo & fons. Quid enim iuuerit meâ me fortunâ contentum viuere, si per alienam malitiam id esse non liceat modò, quod modò sum? si meâ tenuitate me inuoluolatus & gratus Deo; est qui arrodât, est qui bonis, est qui famæ detrahât, est qui per summam iniuriam



stítiam in ius violentus vocet, est qui dignitatem vellicet, est qui inuideat, est qui palam etiam ob os conuitium faciat, est qui rusticitate suâ molestiam facessat sanè grauissimam. Hæc verò quis impediet, & quæ impedire non possis, quis ferat imperturbatus? Ita tu quidem: verum moram da, & tibi & mihi. Querelas omnes ex te libens audiam; tu ex me praxim sustinendi isthæc omnia, sine vlla profus animi perturbatione. Verum illud meminisse credo te, tuâ te conditione contentum viuere. Quam maximè inquis. Ita sit, & reliqua faciliè complanaro.

## S. E.

*Passim queruntur homines pacem suam & quietem, extrinsecus per difficultates superuenientes interturbari.*

1. **I**N maximam difficultatem me iam conijcio; querelarum chaos subeo sanè procellosum, plenumque tumultuantium vocibus & suspirijs; omnia hîc perturbata inuenio & implexa. Labyrinthius est quem intro. Benè tamen spero eluctaturum me: optimum enim ducem habeo qui filum teneat, quique vt vidistis, totius ratiocinationis meæ directorem hactenus egit bellè & feliciter.

2. Illud itaque, tamquam decumanum fluctum, obuolues sciscio; te quidem sanè peripicere, facile esse suo contentum lætè hilariterque viuere; neque aliud desiderare te, quàm tuis dotibus, tum animi, tum corporis, bonis fortunæ statuque quem Deus dedit modestè acquiescentem, amarum hoc mundi pelagus enauigare. Verum vitam pacificè ducere vir frugi vt sis, illud profus fieri non posse: non quòd quietem non optes, non secteris, & toto animo concupiscas; sed quòd tot vndique venti circumstrepant, tot fluctus nauim impingant, tantæ passim vndique difficultates ingruant, vt modestissimo cuique, tranquillo tamen esse vt maximè velit, minimè liceat. Quid quòd tum maximè oriantur, cum eas maximè conaris euitare? & verò, quæ facultas euitandi dabitur ea mala, quibus immerfi vndique circumcingimur? En malorum paradigma, sed exiguum.

*De malis extrinsecis aduenientibus passim queruntur homines.*

Imprimis.